



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXIX. An attributa diuina mutuo de seipsis, & de essentia
prædicari possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

19.
Solutio
quarta
ratio à non-
nullis.

Ad quantum respondent nonnulli, distinctionem personarum maiorem esse distinctione attributorum, ea parte, quia illa est realis, hæc autem rationis; ex alia tamen parte maiorem esse distinctionem attributorum, quam personarum; quia hæc est relatiua, i. la vero absoluta; ens autem absolutum simpliciter præstat relatiua. Sed solutio mihi non placet; nam cum loquimur de distinctione, ut dicatur maior, aut minor, non ad perfectionem eorum, quæ distinguuntur, sed ad modum distinctionis attendendum est; quare si relationes realiter distinguuntur, absoluta vero solum per intellectum, maior simpliciter dicenda est distinctio relationum, quamvis absoluta præstet relatiua. Respondet ergo Durandus, propositionem illam, *Vbi potest esse maius, potest esse minus*, intelligendam esse in ijs, quæ sunt eiusdem rationis, & minus includitur in maiori: quemadmodum si quis potest calefacere, ut octo, poterit etiam, ut quatuor: in ijs vero, quæ sunt diuersæ rationis, non esse veram; nã qui potest ratiocinari, non potest volare. Eandem propositionem eodem modo intelligit idem Durandus in 3. d. 2. q. 1. nu. 10. & Marfil. in 3. q. 3. art. 2. aliquantulum à fine in solutione eiusdem secundæ rationis. Sic ergo etiam diuina essentia est sufficiens fundamentum distinctionis realis personarum, sine ordine ad creaturas, & tamen non est sufficiens, ut per ipsum diuinum intellectum attributa distinguatur, tametsi hæc sit minor distinctio, quia est alterius rationis. Cur autem esse possit realis, non rationis, satis manifestum est.

Vltima
ratio
solutio.

Ad vltimum etiam respondet Durandus, distinctionem personarum non oriri ex distinctione principiorum, nec illam supponere. Quod si principiorum distinctio supponeretur, ut prior, ea deberet esse ex natura rei, ut disputatione 149. cap. 1. probabimus. Ab eodem ergo principio secundum rem, hoc est, intellectu, & voluntate possunt oriri duæ personæ distinctæ realiter, propter oppositionem, quam habent, ut ibidem explicabitur. Quod si necessaria esset distinctio principiorum per rationem ad productionem distinctarum personarum, ea fieri non posset per intellectum clarè videntem Deum, sicuti est, ut ex dictis est manifestum.

DISPUTATIO CXIX.

An attributa diuina mutuo de seipsis, & de essentia prædicari possint.

Opinio Canariensis, cap. 1.

Cum vnum attributum non sit de conceptu alterius, nec aliquid de conceptu essentie, vnum de alio, aut de essentia non prædicari formaliter. *verior opinio est.* cap. 2.

Respondetur argumentis Canariensis, cap. 3.

CAPVT I.

Opinio Canariensis.

1.
Omnia
sententia
Scoti,
explicatur
in quo
sit contrarietas.

Superest, ut in hac disputatione videamus, quomodo attributa de essentia, & inuicem de se ipsis prædicentur, ut hinc plenius intelligamus, qualis distinctio rationis inter ipsa attributa, & essentiam constituenda sit. Mitto autem sententiam Scoti, qui locis citatis supra disputatione 116. cap. 3. cum existimet, attributa inter se, & ab essentia distinguuntur ex natura rei, asserit non

prædicari inuicem, sed in sensu formalis propositionem, in qua vnum de alio enunciamus, esse falsam. Nunc autem cum eis solum nobis controuersia est, qui docent attributa Dei sola ratione inter se, & ab essentia distinguuntur; est autem controuersia de attributis non concretis (ut aiunt) significatis, sed abstractis. Nam certum est, concreta de concretis prædicari, ut Deus sapiens est iustus; an vero abstracta de abstractis, ut sapientia de iustitia dicantur, controuersum est. Canariensis igitur disputat. 2. in hunc articulum dubitatione vltima, cum docuisset attributa inter se, & ab essentia per intellectum distinguuntur; affirmat nihilominus, mutuo de se ipsis prædicari, & de essentia; id autem probat primum testimonio Augusti. 6. de Trinitate cap. 6. ubi ait, *Eadem magnitudo eius est, quæ & sapientia, & eadem bonitas, quæ & sapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ alia omnia*. Idem etiam docet cap. 1. in fine, & cap. 10. consentit Anselm. in monologio cap. 16. ubi solum nominis differentiam inter attributa, & essentiam admittere videtur: distinctionem vero rationis nullo modo, & ita vult esse aliud planè facit his verbis. *Idem igitur est, quodlibet vnum illorum, quod omnia simul sunt sine singula, ut cum dicitur iustitia, vel essentia, vnum significat, quod alia, vel omnia simul, vel singula.*

Ratione vero confirmat Canariensis, primum. Si aliquid esset in Deo attributum, in quo nec aliud attributum, nec diuina essentia formaliter includeretur, iam esset in Deo aliquid, quod non esset Deus: quocirca Deus esset sapiens sapientia, quæ non esset essentia Dei: omne enim ens, aut est à se, aut ab alio: si à se, est deitas; si ab alio, est creatura. Deinde si essentia diuina in suo conceptu nos includeret formaliter sapientiam, necessaria attributa, non esset infinite perfecta; ergone ut diuina essentia posset apprehendi, infinitus enim essentia ita est intrinseca ipsi diuine naturæ, ut sine illa cogitari nequeat; sicut nec Deus sine deitate. Idem de singulis attributis dicendum videtur: nam cum quodlibet sit infinitum, debet in sua ratione formali includere omnem perfectionem, ac proinde omne aliud attributum.

Hinc colligit hic author, essentiam diuinam includi in conceptu cuiusque attributi. Idem de quouis attributo respectu alterius docet, ut vnum in alio includatur, & sit (ut aiunt) transcendens respectu alterius, sicut ens omnibus prædicamentis comparatur. Quare inquit, non posse rectè vnum attributum definiri, nisi cetera omnia in sua definitione includantur. Alij videntur exemplo entis, quod transcendit omnia prædicamenta, ut ita ostendant, quomodo essentia in quolibet includatur attributo, & vnum attributum in alio.

CAPVT II.

Cum vnum attributum non sit de conceptu alterius, nec aliquid de conceptu essentie, vnum de alio, aut de essentia non prædicari formaliter. *verior opinio est.*

Opposita sententia mihi probatur, nempe in ratione distinguuntur attributa inter se, & ab essentia, ut vnum non sit de conceptu alterius, aut essentie, nec essentia de conceptu illorum; quare si in propositionibus seruetur sensus formalis, nec vnum de alio, aut de essentia, nec essentia de illis formaliter prædicari: loquimur autem in

Cur attributa inter se formaliter non prædicantur, reijciuntur.

actum vnius alteri tribuere: sed de his iterum disputat. 135. cap. 3. & q. 39. art. 5. ubi etiam videbimus, an vna proprietas, vel notio de alia prædicetur, vt paternitas de spiratione.

Deinde notandum est, causam, ob quam vnum attributum formaliter de alio non prædicatur, cum solum differant per intellectum, non esse, quia differant ratione (vt aiunt) ratiocinata, quæ dicitur habere fundamentum in re, & nõ in solo nostro modo concipiendi: iam enim supra disputatione 117. cap. 3. ostendimus, omnem distinctionem habere aliquod fundamentum, non in re, quæ distinguitur, in hac enim nullum habet fundamentum; sed in alijs, instar quorum fit distinctio, & in nostro modo intelligendi: quare diximus, non esse duplicem distinctionem rationis modo prædicto: est nihilominus duplex modus distinguendi vnum ab alio; aut enim duo distinguuntur à nobis, vt duæ formæ diuersæ, sicut attributa, & sic vnum de alio non prædicatur: aut vnum intelligimus per modum formæ alterius, vel per modum partis, & sic prædicatur, vt animal dicitur de homine, & rationale, vt forma eius: sed vtrum abstracta de concretis prædicentur, an non, dicemus disputat. 121. cap. 5.

CAPVT III.

Respondetur argumentis Canariensis.

9.
Solutio
prioris
rationis
Canariensis.

EX dictis facile colligitur solutio rationis prioris sententiæ. Ad priorem respondeo, ita nostro conceptu distingui sapientiam ab essentia Dei, & substantia eius, vt nostro more intelligendi non apprehendatur, vt deitas, sed, vt aliquid deitatis; ob id tamen non apprehenditur, vt creatura, & vt ab alio, neque, vt à se: quia intellectus solum considerat vnum non considerando aliud; hoc est rationem sapientiæ, verbi causa, siue illa sit à se, siue ab alio, & quamuis illam consideret, vt aliquid Dei, & affectionem illius, non affirmat, ita esse suapte natura. Hac de causa dicunt Philosophi, *Abstractum non est mendacium*, hoc est, considerantes vnum sine alio, nempe non considerato alio, cum quo reuera est, non dicunt falsum, quia non affirmant ita esse re ipsa abstractum, quod consideratione abstractum est. Sapientia ergo suapte natura est deitas, sed concipitur à nobis, vt affectio, & vt aliquid deitatis, quod re ipsa est à se, quamuis dum consideratur, vt aliquid Dei, nec apprehenditur, vt ens ab alio, quia nihil tale de illa cogitamus, & quamuis cum distinguimus attributa ab essentia, negamus in propositione secundum sensum formalem vnum de alio, & dicamus, essentia non est sapientia, & contra: nunquam tamen asserimus, sapientiam esse ab alio, aut esse creaturam, ad hoc enim necessarium esset, ipsam reuera ab alio esse, vt eodem modo de relatione dicemus infra disputat. 121. cap. 1. ad ad secundum argumentum.

10.

At dicit aliquis, sicut esse per se, & esse in alio sunt rationes transcendentes, quarum aliqua in quouis ente includitur, ita etiam esse à se, & esse ab alio debent esse rationes transcendentes, ac proinde cuius attributo altera illarum conuenire debet.

Respondeo inter esse à se, & esse ab alio, licet in re non possit esse medium, & ita in re sint transcendentia, tamen in consideratione nostra potest

esse medium, & ita non sunt rationes transcendentes in consideratione nostra, sed res aliquæ concipi potest nec sub vna, nec sub alia ratione. Nam ipsa essentia diuina concipitur, vt essentia, quam intelligatur infinita, infinitas enim attributorum est in eo formaliter positum, vt res non sit ab alio, sed à se: essentia autem Dei intelligi potest, nõ intellectus expressè attributis. Et de attributo infinitatis id probatur, quia, vt res concipiamur infinita in genere entis, debet concipi expressè, vt non ab alio, inter hoc autem, quod est concipere rem, vt non ab alio, & concipere, vt ab alio, est medium, nempe concipere sub alia ratione, & prædicato, nam inter contradictoria ex parte rei conceptæ medium esse potest in cogitatione, licet nõ in re, verbi causa inter esse album, & non esse album non est medium, at inter hoc, quod est cogitare aliquid, vt album, & cogitare, vt non album, medium est, quia cogitari potest illud sub alijs prædicatis, nulla de albedine mentione facta, nec affirmatiuè, neque negatiuè.

Similiter dicere possumus esse per se, & in alio, esse rationes transcendentes, non in cogitatione ipsa, sed in re, sicut bonum & verum, neque enim de ratione transcendens est, vt etiam cogitatione sit transcendens: quæuis enim res considerari potest absque eo, quod sit vera, aut bona, cum tamen hæ rationes transcendentes sint, similiter considerari potest absque eo, quod consideretur, vt per se, aut, vt in alio, dicitur autem transcendens, non, quia consideratio nostra semper apprehendatur sub illa ratione; sed, quia de illa affirmare potest rationem. Atque ita contingit in attributis: nam licet consideratione nostra non apprehendantur, vt à se, aut, vt ab alio, dicimus tamen ipsa esse à se, & non ab alio.

Ad aliam rationem dicendum est, essentiam, quatenus consideratur, vt substantia Dei, & fundamentum attributorum, non includere in nostro conceptu attributa: nihilominus esse infinitam, etiam sub hac consideratione, & perfectam in genere substantiæ, infinitas enim substantialis non est habere omnem perfectionem attributorum, vt probauimus supra disputat. 25. cap. 1. sed non habere causam sui esse, essentia autem etiam sine sapientia est hoc modo infinita, est etiam perfecta in genere substantiæ, & esse; licet nondum sit in genere operandi, & aliorum attributorum, & quia nos pro capto nostro concipimus Deum pauperem, mirum non est, si in priori conceptu intelligamus perfectum, quoad esse substantiæ, deinde quoad operationes & earum facultates, quia non nisi per partes ipsum mente cogitare possumus. Et quamuis Scholastici Doctores varie explicent rationem infinitatis substantiæ Dei, vt in ea disputatione retulimus, nullus tamen, nisi recentiores aliqui Theologiæ professores, infinitatem Dei eo modo explicauit, vt sit infinitus, quia habet infinitas, aut omnes perfectiones attributorum. Eodem modo de attributis dicimus, vnum quodque apprehendi à nobis perfectum, & infinitum non in genere substantiæ, sed in genere loci: quia in infinitate, prout singulis conueniunt attributis, quæ in infinitate, prout singulis conueniunt attributis, diximus disputat. 103. cap. 1. Quare non est necesse, vt attributum sit infinitum in suo genere, continere in se omnia attributa, imò inde non posse illi prouenire infinitatem, etiam si omnia attributa contineret, colligitur ex dictis in disputatione.

rat. 27. c. 1. quare ad perfectionem formalem vnius attributi, vt est in nostro conceptu, non pertinet aliud attributum.

Ex dictis inferitur, quomodo attributa dicantur esse de ratione essentiae diuinæ. Nam si ratio idem sit, quod natura ipsa, omnia sanè sint de ratione illius; imò nihil aliud sunt quam ipsa. Si vero ratio sumatur pro conceptu, attributa nō sunt de ratione illius, vt constat: eodem modo non sunt de definitione illius, prout definitio est actus intellectus distinguens vnum ab alio. Quare non video, quomodo verum sit id, quod ait Catenariensis, nempe, si vnum attributum perfectè definiendum est, cætera omnia in sua definitione debere concludi: si de definitione, quam intellectus viatorum assignat, loquamur; potius enim, vt ex toto hoc nostro opere constat, cum de singulis attributis disputamus, rationem vnius ab alio distinguere contendimus, vt singula perfectè intelligere possimus. Fatemur quidem, si de finitio esset per intellectum Beati videntis Deum, si- cuti est, vnum solum fore definitionem, qua essentia simul cum attributis simplicissimè cōprehenderetur; at Catenariensis de definitione loquitur attributorum, quatenus à nobis viatoribus definiuntur. An vero ex diuersitate attributorum sit in Deo aliqua compositio, dicemus disputat. 12 r. cap. 3. vbi differemus etiam de relatione, & essentia, vt vtrum componant, & constituent aliquo modo personam, an non.

DISPUTATIO CXX.

An relationes diuinæ distinguantur ex natura rei ab essentia.

Sententia Gilberti. cap. 1.

Quis contra Gilbertum in Concilio Remensi actum fuerit. cap. 2.

Essentiam diuinam ex natura rei differre à relatione, seu personam senserunt Scotus, Nominales, & Durandus, cap. 3.

Relationem, & essentiam nullo modo ex natura rei, sed sola cogitatione nostrā differre auctoritate probatur, c. 4.

Eadem opinio ratione confirmatur, cap. 5.

Solutio argumentorum Scoti & Durandi, cap. 6.

CAPUT I.

Sententia Gilberti.

Superest præcipua difficultas, quam Sanctus Doctor tractat in hoc artic. 2. vtrum suapte natura relationes diuinæ differant ab essentia diuinā, an solum per intellectum: nam vtrum spiratio actiua in Patre à paternitate distinguatur ex natura rei, an tantum per rationem, differendum est infra disputat. 138. quanquam autem proposita difficultatis enodatio ex superioribus non difficilè colligitur quia tamen aliqua sunt in ea notatione digna, idè recentitis etiam aliorum opinionibus, more solito nobis ex professo examinanda est; maioris vero perspicuitatis gratia ante omnia præmittenda est sententia Gilberti, & quid contra ipsam in Concilio Remensi fuerit definitum, explicandum. Hic Gilbertus Porretanus auctor sex principiorum apud Logicam Arist. fuit Episcopus Pictaviensis tempore Eugenij III. Papæ, & Conradij III. Imperator. Nam, & in Concilio Remensi ab Eugenio III. damnata fuit eius doctrina. Vazquez in 1. partem Tom. II.

Arina, & ipse à Bernardo de errore conuictus, vt infra patebit.

Erroris Gilberti meminerunt ex Scholasticis Alexan. & Bonauent. citati à nobis supra disputat. 114. cap. 1. & S. Thomas in hoc artic. 2. putaruntque illum in ea fuisse sententia, vt doceret, relationes esse quasi intrinsecus affixas, non inherentes diuinæ essentia: sed nihil tale ille docuit. Neque vero de distinctione attributorum inter se, aut ab essentia quidquam male asseruit, vt notauimus disputat. 116. cap. 2. nam quamuis diceret, Deum non esse suam sapientiam, sed esse sapientem; nomine Dei, non naturam diuinam, sed personam intelligebat, à qua, sicut dicebat, differre essentiam, sic etiam putabat, differre attributa: imò inter, & attributa essentiam nullam distinctionem ex natura rei constituebant. Nam, vt scribit Otto Frlingensis Episcopus antiquus auctor, qui centum, & amplius annos post Bernardum claruit Imperio vacante anno 1260. libro de gestis Friderici Imperatoris, cuius ipse nepos fuit, cap. 56. & 57. Gilbertus dicebat, nomen, Deus, aliquando poni pro persona, aliquando pro natura, cum ponitur pro natura, concedebat ille Deum esse suam Deitatem, suam sapientiam, &c. Ex quo colligebamus disputat. illa 116. cap. 2. Gilbertum nullam inter essentiam, & attributa posuisse distinctionem ex natura rei. Cum vero, Deus, ponitur pro persona diuina, dicebat, non esse concedendum simpliciter Deum esse suam Deitatem, vel esse suam veritatem, nisi explicando statim, id est Deum, id est verum, & sic de alijs; cuius explicationis meminit Bernardus, serm. 80. in Cantica, & asseruit, damnatam fuisse, vt perueriam, & suspectam ab Eugenio, & Patribus Concilij Remensis, cuius acta sequenti cap. recitabimus. Cumque idem Gilbertus diceret, vt ex ijs, quæ referemus, patebit, Deum non esse essentiam suam, sed per suam essentiam; idè hanc propositionem, Deus est essentia diuina, concedendam tantum esse dicebat, si essentia diuina, esset in casu auferendi, non in casu nominandi: ac si diceret, Deus non est deitas, sed est deitate Deus: sicut etiam non est æternitas, sed æternitate æternus. Ideoque Bernardus in illo serm. 80. referens errorem Gilberti, & discipulorum eius, ait; Diuinitate (inquiunt) Deus est, sed diuinitas non est Deus. Quare quoties Bernardus contra ipsum probat, Deum esse ipsam deitatem, & sapientiam, & cætera attributa, vt in illo sermone, & lib. 5. de consideratione, accipit Deum pro persona, non pro natura diuina. Eodem modo auctor commentarij in librum Boethij de Trinitate apud B. dam 8. tom. colum. 113. cum meminit huius Concilij & erroris Gilberti, inquit, in eo sensu Gilbertum dixisse, Deus est deitate Deus, vel bonitate bonus, vt constructio esset transitiva, quæ sanè constructio locum videtur habere cum sola distinctione formali ex natura rei. Dicitur autem intransitiua constructio, cum nulla est distinctio; vt cum dicimus, filiatio est proprietas relationis, vel relatiua, hoc est, proprietas, quæ est ipsa relatio. Neque vero solam constructionem transitivam concedebat Gilbertus nostro modo concipiendi, sicut nos concedimus, cum dicimus paternitas est proprietas personæ, cum à persona ex natura rei non distinguatur; sed concedebat etiam suam constructionem ex natura rei. Auctorem vero illius commentarij, quem allegauimus,